CURRENDA IV.

A. D. 1860.

Nr. praes. 24.

Encyclica Sanctissimi Dni nostri Pii IX. Papae..intuitu possessionis Patrimonii S. Petri turbatae etc. etc.

„Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Aliisque Locorum Ordinariis Gratiam et Communionem cum Apostolica Sede habentibus.“

Pius PP. IX.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Nullis certe verbis explicare possumus, Venerabiles Fratres, quanto *solatio*, quantaeque *laetitiae* Nobis fuerit inter maximas Nostras amaritudines singularis ac mira vestra, et fidelium, qui Vobis commissi sunt, erga Nos et hanc Apostolicam Sedem fides, pietas et observantia, atque egregius sane in ejusdem Sedis juribus tuendis, et justitiae causa defendenda sonsensus, alacritas, studium et constantia. Etenim ubi primum ex Nostris Encyclicis Litteris die 18. Junii superiori anno ad Vos datis, ac deinde ex binis Nostris Consistorialibus cum summo animi vestri dolore cognovistis gravissima damna, quibus sacrae civilesque res in Italia affligebantur, atque intellexistis nefarios rebellionis motus et ausus contra legitimos ejusdem Italiae Principes, ac sacrum legitimumque Nostrum et hujus S. Sedis principatum, Vos, Nostris votis curisque statim obsecundantes, nulla interiecta mora, publicas in vestris Dioecesibus *preces* omni studio indicere properastis. Hinc non solum obsequentissimis aeque ac amantissimis vestris Litteris ad Nos datis, verum etiam tum pastoralibus Epistolis, tum aliis religiosis doctisque scriptis in vulgus editis episcopalem vestram vocem cum insigni vestri ordinis ac nominis laude attollentes, ac sanctissimae nostrae religionis justitiaeque causam strenue propugnantes, vehementer detestati estis sacrilega ausa contra civilem Romanae Ecclesiae principatum admissa. Atque ipsum principatum constanter tuentes, profiteri et docere gloriati estis, eumdem singulari Divinæ illius omnia regentis ac moderantis Providentiae consilio datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse nulli civili potestati unquam subjectus supremum Apostolici ministerii munus sibi ab ipso Christo Domino divinitus commissum plenissima libertate, ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat. Atque Nobis carissimi catholicae Ecclesiae filii vestris imbuti doctrinis, vestroque eximio exemplo excitati eosdem sensus Nobis testari summopere certarunt et certant. Namque ex omnibus totius catholici orbis regionibus innumerabiles paene accepimus tum ecclesiasticorum tum laicorum hominum cujusque dignitatis, ordinis, gradus et conditionis Litteras etiam a centenis catholicorum millibus subscriptas, quibus ipsi filialem suam erga Nos, et hanc

Petri Cathedram devotionem ac venerationem luculenter confirmant, et rebellionem, aususque in nonnullis Nostris Provinciis admissos vehementer detestantes, Beati Petri *patrimonium* omnino integrum inviolatumque servandum, atque ab omni injuria defendendum esse contendunt; ex quibus insuper non pauci id ipsum, vulgatis apposite scriptis, docte sapienterque asseruere. Quae praeclarae vestrae, ac fidelium significationes, omni certe laude ac praedicatione decorandae, et aureis notis in catholicae Ecclesiae fastis inscribendae ita Nos commoverunt, ut non potuerimus non laete exclamare „*Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione nostra*“ Nihil enim Nobis inter gravissimas, quibus premimur, angustias gratius, nihil jucundius nihilque optatius esse poterat, quam intueri, quo concordissimo atque admirabili studio Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad hujus S. Sedis jura tutanda animati et incensi estis, et qua egregia voluntate fideles curae vestrae traditi in idipsum conspirant. Ac per Vos ipsi vel facile cogitatione assequi potestis, quam vehementer paterna Nostra in Vos, atque in ipsos catholicos benevolentia merito atque optimo jure in dies augeatur.

Dum vero tam mirificum vestrum, et fidelium erga Nos et hanc Sanctam Sedem studium et amor Nostrum lenibat dolorem, nova aliunde tristitiae accessit causa. Itaque has Vobis scribimus Litteras, ut in tanti momenti re animi Nostri sensus Vobis in primis denuo notissimi sint. Nuper, quemadmodum plures ex Vobis jam noverint, per Parisienses ephemeridas, quibus titulus „Moniteur“ vulgata fuit Gallorum Imperatoris Epistola, qua Nostris respondit Litteris, quibus Imperialem Majestatem Suam omni studio rogavimus, ut validissimo suo patrocinio in Parisiensi Congressu integram et inviolabilem temporalem Nostram et hujus Sanctae Sedis ditionem tueri, illamque a nefaria rebellione vindicare vellet. Hac sua Epistola summus Imperator commemorans quoddam suum consilium paulo ante Nobis propositum de rebellibus Pontificiae Nostrae ditionis provinciis Nobis suadet, ut earumdem provinciarum possessioni renuntiare velimus, cum ei videatur hoc tantum modo praesenti rerum perturbationi posse mederi.

Quisque vestrum, Venerabiles Fratres, optime intelligit, Nos gravissimi officii Nostri memores haud potuisse silere, cum hujusmodi epistolam accepimus. Hinc, nulla interposita mora eidem Imperatori rescribere properavimus, Apostolica animi Nostri libertate clare aperteque declarantes, nullo plane modo Nos posse ejus annuere consilio, propterea quod *insuperabiles praeseferat difficultates ratione habita Nostrae et hujus Sanctae Sedis Dignitatis, Nostrique sacri characteris, atque ejusdem Sedis jurium, quae non ad alicujus regalis familiae successionem, sed ad omnes catholicos partinent*, ac simul professi sumus *non posse per Nos cedi, quod nostrum non est, ac plane a Nobis intelligi victoriam, quae Aemiliæ perduellibus concedi vellet, stimulo futuram indigenis, exterisque aliarum provinciarum perturbatoribus ad eadem patranda; cum cernerent prosperam fortunam, quae rebellibus contingeret.* Atque inter alia eidem Imperatori manivestavimus, *non posse Nos commemoratas Pontificiae Nostrae ditionis in Aemilia provincias abdicare, quin solemnia, quibus obstricti sumus, juramenta violemus, quin querelas motusque in reliquis Nostris provinciis excitemus, quin catholicis omnibus injuriam inferamus, quin denique infirmemus*

jura non solum Italiae Principum, *qui suis dominiis injuste spoliati fuerunt, verum etiam omnium totius christiani orbis Principum, qui indifferenter videre nequirent perniciosissima quaedam induci principia.* Neque praetermisimus animadvertere, *Majestatem Suam haud ignorare, per quos homines, quibusque pecuniis, ac praesidiis recentes rebellionis ausus Bononiae, Ravennae et in aliis civitatibus excitati ac peracti fuerint, dum longe maxima populorum pars motibus illis, quos minime opinabatur, veluti attonita maneret, et ad illos sequendos se nullo modo propensam ostendit.* Et quoniam Serenissimus Imperator illas Provincias a Nobis abdicandas esse censebat ob rebellionis motus ibi identidem excitatos, opportune respondimus, hujusmodi argumentum; utpote nimis probans, nihil valere: quandoquidem non dissimiles motus tum in Europae regionibus, tum alibi persaepe evenerunt; et nemo non videt legitimum exinde capi non posse argumentum ad civiles ditiones imminuendas. Atque haud omisimus eidem Imperatori exponere diversam plane fuisse a postremis suis Litteris primam suam Epistolam ante Italicum bellum ad Nos datam, quae Nobis consolationem, non afflictionem attulit. Cum autem ex quibusdam imperialis epistolae per commemoratas ephemerides editae verbis timendum Nobis esse censuerimus, ne praedictae Nostrae in Aemilia provinciae jam essent considerandae veluti a Pontificia Nostra ditione distractae, iccirco Majestatem Suam Ecclesiae nomine rogavimus, ut etiam proprii ipsius Majestatis Suae boni utilitatisque intuitu efficeret, ut hujusmodi Noster timor plane evanesceret. Ac paterna illa caritate, qua sempiternae omnium saluti prospicere debemus, in Ipsius mentem revocavimus, ab omnibus districtam aliquando rationem ante Tribunal Christi esse reddendam, et severissimum judicium subeundum, ac propterea cuique enixe curandum, ut misericordiae potius quam justitiae effectus experiatur.

Hæc praesertim inter alia summo Gallorum Imperatori respondimus, quae Vobis, Venerabiles Fratres, significanda esse omnino existimavimus, ut Vos in primis, et universus catholicus orbis magis magisque agnoscat, Nos, Deo auxiliante, pro gravissimi officii Nostri debito omnia impavide conari, nihilque intentatum relinquere, ut religionis ac justitiae causam fortiter propugnemus, et civilem Romanae Ecclesiae principatum, ejusque temporales possessiones ac jura, quae ad universum catholicum orbem pertinent, integra, et inviolata constanter tueamur et servemus, nec non justae aliorum Principum causae prospiciamus. Ac divino Illius auxilio freti, qui dixit: *in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum,* (Joan. c. 16. v. 33.) et *beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam,* (Math. c. 5. v. 10.) parati sumus illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia persequi, exempla aemulari, et aspera quaeque et acerba perpeti, ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiae ac justitiae causam ullo modo deseramus. Sed vel facile coniicere potestis, Venerabiles Fratres, quam acerbo conficiamur dolore videntes, quo teterrimo sane bello sanctissima nostra religio maximo cum animarum detrimento vexetur, quibusque maximis turbinibus Ecclesia et haec Sancta Sedes jactentur. Atque etiam facile intelligitis, quam vehementer angamur probe noscentes, quantum sit animarum discrimen in illis perturbatis Nostris provinciis, ubi pestiferis praesertim scriptis in vulgus editis pietas, religio, fides, morumque honestas in dies miserrime labefactatur. Vos igitur, Venerabiles Fratres, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati estis,

quique tanta fide, constantia ac virtute ad Religionis, Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis causam propugnandam exarsistis, pergite majore animo studioque eamdem causam defendere, ac fideles curae vestrae concreditos quotidie magis inflammate, ut sub vestro ductu omnem eorum operam, studia, consilia in catholicae Ecclesiae et hujus Sanctae Sedis defensione, atque in tuendo civili ejusdem Sedis principatu, Beatique Petri patrimonio, cujus tutela ad omnes catholicos pertinet, impendere nunquam desinant. Atque illud praesertim a Vobis etiam atque etiam exposcimus, Venerabiles Fratres, ut una Nobiscum *ferventissimas* Deo Optimo Maximo *preces* sine intermissione cum fidelibus curae vestrae commissis adhibere velitis, ut imperet ventis et mari, ac praesentissimo suo auxilio adsit Nobis, adsit Ecclesiae suae, atque exurgat et judicet causam suam, utque caelesti sua gratia omnes Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis hostes propitius illustrare, eosque omnipotenti sua virtute ad veritatis, justitiae, salutisque semitas reducere dignetur. Et quo facilius Deus exoratus inclinet aurem suam ad Nostras, vestras, omniumque fidelium preces, petamus in primis, Venerabiles Fratres, *suffragia* Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitricis Virginis *Mariae*, quae amantissima nostrum omnium est mater et spes fidissima, ac praesens Ecclesiae tutela et columen, et cujus patrocinio nihil apud Deum validius. Imploremus quoque suffragia tum Beatissimi Apostolorum Principis, quem Christus Dominus Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi praevalere nunquam poterunt, tum coapostoli ejus Pauli, omniumque Sanctorum Caelitum, qui cum Christo regnant in caelis. Nihil dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra religione ac sacerdotali zelo, quo summopere praestatis, Nostris hisce votis postulationibusque studiosissime obsequi velitis. Atque interim flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam, et cum omnis verae felicitatis voto conjunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiae commissis peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 19 Januarii Anno 1860.

Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

Fratres in Christo Dilectissimi!

E tenore œstissimimœ hujus Encyclicœ percipietis quoq. gaudium, idcirco, quod Afflictissimus ultro Pater totius Orbis Catholici solatio atq. lœtitia sesse recreatum perhibet... jam ob condolentiam et fidelitatem; jam ob alacritatem defendendi jura Patrimonii S. Petri... verbis, scriptis, suffragiis; nec non ob institutionem precum publicarum... e variis Orbis plagis Sibi manifestatam. Quoniam religionis ac jurium hostes porro machinationes parare clamitareq. haud cessent: Venite, mittamus lignum (venenatum, particulas ligni ejusmodi) in panem (cibos) Ejus (Pontificis...) Jer. XI. 19... nec Sibi liceat, copias auxiliares a Principibus propensis recipere ad rebelles, e vicinia concitatos, profligandos; Sanctissimus Papa nos ad majorem adhuc solicitudinem in erudiendo populo fideli de causa Patrimonii S. Petri funesta... non minus, quam ad ulteriores preces pro flectendo Numine div. obstringit. Machinationes illœ novatorum, ut Venerabiles in Christo Fratres! aliunde nostis, eo pro dolor! tendunt, ut sana religio-

nis ac justitiæ principia convellantur; patrimonium S. Petri, substantia totius Orbis catholici, quæ a piis fundatoribus non solum in sustentationem Successoris S. Petri Ejusq. Assistentiæ, verum et ad conservationem tot antiquitatis monumentorum, tot Basilicarum et Institutorum saluberrimorum &c. &c. destinata erat, aut minuatur, aut plane Sedi Apostolicæ adimatur; ut ergo panis, quem non fundaverunt, tribuatur Sæcularibus, in scopos voluntati piorum fundatorum contrarios; et dein Pater Orbis Catholici panem emendicet a filiis in toto mundo dispersis... utq. orbatus ditione Sua, subjaceat civiliter alicui Principi, aut Consuli reipublicae novae, qui custodiret Ejus gressus, Ejus Regimen spirituale, arceretq. cuncta, quae Sibi arcenda visa fuerint... Ejusmodi desolatione in urbe sancta patrata opinantur Novatores hujus saeculi ruinam religionis Catholicae, applaudentibus confessionum alienarum asseclis, consummare, obliti effati Salvatoris Nostri: Et portae inferi non praevalebunt adversus eam Math. 16, 18. demum sepulta religione Catholica una cum ejus Institutis, quae fortissima contra sua molimina propugnacula esse norunt, spe gaudent fore, ut novus in Europa ordo, aetas aurea affulgeat, ac si civitas sine Deo solide aedificari possit, aut sine Deo consistere valeat. Hanc veritatem ethnicos jam perbene novisse, testes habemus in Scriptoribus vetustatis e. g. in Plutarcho, qui ait: „facilius urben fine solo condi posse arbitror, quam opinione de diis penitus sublata civitatem coire aut constare.“ Vide: Plato de lege l. 10. Aristot. ad Nicom. I. 10. Cic. l. Tusc. Hi cuncti ut gratia Dei miserantis mox convertantur; pax ut redeat populis Christianis, pax praeprimis Patri Nostro variis aerumnis presso... non cessemus conformiter Ordinationi N. praes. 146 in Cur. XI. a. e. per 1. Pater 1. Ave et Gloria &c. simulq. Dispositioni de 22. Jan. a. c. N. praes. 7. Cur. II. per Collectam pro Papa singulis diebus, praeter festa I. et II. Classis, et aliis precibus obtestari ultro Patrem Misericordiarum; nec intermittamus religionis et Sanctissimi Papae osores de meliori informare, et hunc in modum ultro manifestare omnimodam pietatem ac reverentiam erga religionem sanctam, Ejus Caput in terris Visibile et Hierarchiam; erga virtutem justitiamq. publicam... Pax omnibus Vobis!

E Praesidio Eppali Tarnoviae 11. Feb. 1860.

N. 3325 ex A. 1859.

Nova provocatio puncto novæ Bullarii Romani editionis.

Jam in Currenda VII. 1859 sub N. 1070. Venerabilem Clerum ad editionem prælaudatam attentum reddideramus. Obtentis serius Litteris Eminentis. Francisci Gaude S. R. E. Cardinalis, ea cum interpellatione, quatenus exquiramus quoq. ex Archivis Diœceseos Nostræ monumenta historica, seu diplomata, privilegia pontificia *vetustiora*, præprimis e *medio* ævo, conservatu digna; aut excerpamus ex operibus typo impressis, nuspiam haesitamus cum invitatione Venerabilis Cleri ad conficiendas ejusmodi Bullarum... copias, submittendasq. ad finem Martii 1860. nec non ad prænumerationem ipsius Bullarii sub conditionibus in Cur. VII. expressis. Tenor Literarum ad Nos datarum est sequens:

Domine mi Illme ac Rme!

„Romanorum Pontificum diplomata atque epistolae, quanta in dogmatibus fulciendis, in moribus informandis inque disciplina roboranda polleant gravitate atque sapientia, Dominationi Tuæ tam perspectum est quam quod maxime; adeoque non diffiteberis rei catholicæ haud modicum interesse, si, veteribus jam pene exhaustis exemplaribus, nova, eaque plenior atque concinior prodeat Bullarii Romani editio, ex qua, tamquam ex fonte praedivite, Christianus populus ac Clerus imprimis uberrimos latices haurire queat firmandae fidei, pietati nutriendae. Quum autem id nuperi Taurinenses Editores Franco-Dalmazzo, nec parcentes sumptibus, nec temporum difficultate deterriti, alacriter susceperint ac persequantur (quorum programmatis exemplar heic adnecto ad pleniorem tui notitiam), non est sane ambigendum amplissima consecuturos fore a Praesulatu Catholico patrocinia atque incitamenta. Patiatur tamen Dominatio Tua, ut, quandoquidem mihi omnium S. R. E. Cardinalium minimo opus ipsum dicatum prodit, illud Tuae benevolentiae etiam atque etiam commendem, opem quoque Tuam atque operam exposcens, ut uberioribus monumentis haec editio locupletata Ecclesiae bono et decori aptior, ac vivorum doctorum suffragiis minus indigna censeatur. Nihil quidem, ad me quod attinet, praetermittendum duxi, adhibitis, ut par est, viris Pontificii juris consultissimis, ut, nedum documenta jamdiu edita atque huc illuc dispersa denuo prodeant in unum veluti corpus compacta, verum et alia adhuc inedita ac in archiviis delitescentia nunc primum lucem adspiciant, quod operae pretium liquet haud modicum futurum. Ast, si in alma Urbe hac locisque finitimis hanc nobis provinciam lubenter assumimus, plane perspicit sagacitas Dominationis Tuae, quam arduum foret ac pene impossibile id Societatis Editricis curis atque impensis toto quam late patet orbe complere, quin (præter alia quae sequuntur incommoda) ea pertimescenda sit temporis atque æris iactura, quae coepti operis prosequutionem praepediat, vel certe intercipiat. Hujus porro incommodi ac discriminis arcendi non aptior snppetit via, quam appellatione facta spectatissimo Sacrorum Antistitum zelo, Tuaeque imprimis munificentiae, Domine mi Ill. et Rev. ut si forte in Curiae Tuae tabulariis, aliisve quoquomodo Tibi subjectis, autographa documenta hujusmodi sive *authentica transumpta noveris asservari*, in rei catholicæ bonum atque incrementum hisce *thesauris reclusis per viros idoneos* diligenti fide excribi cures, ac in meas dein seu *Taurinensium Editorum manus remitti*, vel *opportuna nacta occasione,* vel juxta modum, quem Dominationi Tuae ipsimet Editores humillime subiicient. Ex quorum profecto diplomatum evulgatione illud quoque commodi accedet, ut nova, *Illustria*, nec diœcesi Tuæ ingloriosa prodeant *monumenta filialis illius devotionis*, qua Apostolicæ Sedi communione et fide nullo non tempore devincta, ab ea modo credendi, agendi, orandi amussim, modo hortamenta, elogia, vel insignia quandoque privilegia adepta est. . . .

Prolata tanti nominis auctoritate, mihi prorsus silendum esset, nisi duo obiter forent heic coronidis loco adiicienda. Ac primo quidem satius praetermitti *pontificia* illa *diplomata* seu *decreta*, quae personalem beneficiorum collationem spectant, seu alia attingut minoris, re-

spective, momenti, nisi forte ad vetustiora tempora, ac *medium* præsertim, quod vocant, *aevum* referantur; quae in animo est latius proferre, ad historiae sin minus illustrationem. Rursus, quum apprime noverim plures huc illuc *peculiare*s vel *nationale*s decumentorum *collectione*s prodiisse, in quibus fortasse jam extat publici juris effectum quidquid a diœcesanis archiviis Tuis ad rem nostram erui posset, non gravetur benignitas Tua (nisi de collectione agatur undique percelebri atque notissima) de editionis *loco* vel *librorum titulo* me, datis litteris, certiorem efficere, e quibus videlicet ea liceat decerpere monumenta.

Superest nunc tandem, ne diutius abutar patientia Tua, ut in observantiae pignus Dominationis Tuæ manus deosculer Dominationis Tuæ famulus verus.„

Franc. Gaude Card. Dat. Romae nonis Jul. 1859.

N. 140. 314. 415. et 621. 417. 418. 419. 681. 709.

Continuatio collectionum piarum, collaudatio, benedictio... excitatio.

I. E Decanatu Bobov. 7 Rh. V. A. pro Missionibus maxime indigentibus.

II. E Dec. Vetero-Sandec. 18 fl. 58½ xr. pro Societate sanctæ Infantiae Jesu.

III. E Parochia Tarnov. 49 Rh. videlicet 18 fl. a Ven. Clero Cathedrali et 21. Rh. V. A. e collectione sub festo Nominis Jesu, pro Missionibus in Terra sancta, Africa et America per 3. aequales partes; a Venerabili Clero reliquo 20 Rh. 30 kr. V. A.

IV. E Parochia Makov. 12 fl. V. A. et quidem 4 fl. pro Missionibus inter Turcas, in Africa et America per 4 fl. V. A.

V. E Decanatu Bochn. nimirum a Ven. Clero præter Bochnien. 8 fl. 10 xr. et e Paroch. Chełm et Rzezav. 3 Rh. 4 xr. V. A. in rem oppidi Kuty. item

VI. in favorem Neo. Boleslaviae e Parochiis Rzezav. Jasien. et Chełm. 3 Rh. 41 x. V. A.

VII. E Parochia Lipoven. pro Oriente 5 fl. 17 x. et pro s. Infantia Jesu 15 fl. V. A.

VIII. E Dec. Wadov. 3 Rh. V. A. a Ven. Clero pro oppidanis in Kuty.

His piis Largitoribus laus, suffragia indigorum, benedictio divina et remuneratio post obitum; verum aliis sit exstimulatio illorum munificentia.

N. 538.

Sepultura Theresiæ Jasiak exquirenda rursus commendatur.

In sequelam Provocationis Nostræ in Cur. XIII. a. e. sub N. 2728 primum 3. Decani relationem de non invento sepulturae actu dictae foeminae exhibuerunt. Quoniam maritus derelictus notitia hac summopere indigeat, nec non 5 fl. V. A. honorarium offerat: iterum requirimus Ven. Clerum ad perlustrandos libros mortuorum, et deferendum, ubi hoc nedum factum est &c.

E ses. 9. Feb. 1860.

N. 671.

Collectio in rem Congregationis div. Salvatoris in Reindorf prolongatur.

In Currenda XII. a. e. sub N. 2514. patefecimus licentiam Alti Regiminis concessam Sororibus div. Salvatoris in Reindorf prope Viennam ad 6. menses. Nunc in sequelam Intimationis Exc. Regiminis Cracov. de 30. Jan. a. c. N. 37667. significamus, eandem facultatem ab Alto Ministerio Internorum de 16. Dec. a. e. N. 30658. prolongatam esse usq ad finem Augusti A. 1861. eum in finem, ut Venerabilis Clerus Collectorem illius Instituti tam saluberrimi benigne suscipiat collectionemq pro viribus in Parochia fulciat. E ses. 16. Feb. 1860.

N. 751.

Invitatio ad suscipiendas Missas in rem piscinae S. Stanislai Cracoviae.

Multi P. T. Presbyteri suum S. Stanislai cultum susceptione Intentionem pro restauranda piscina hujus strenui pro religione Propugnatoris... exhibuerant intercessionemq. Ejus procul dubio meruerant. Verum eadem piscina quamvis maxima ex parte jam restaurata conspicitur; attamen adhuc indiget nonnullis exornationibus, pro quibus fundus desideratur. His in circumstantiis Conventus per Nos efflagitat, quatenus Venerabilis Clerus Dioecesanus Missis haud oneratus per *unam* saltem Missam ad *intentionem dantis* susciperet, atq de susceptione mox ad resp. Decanum referret.. Relationem rursus generalem a resp. Decanis intra m. *Martium* praestolabimur.

Ogłoszenie przedpłaty na gazetę nową (die Gegenwart) Katolicką.

P. Chowanetz jako Redaktor wzmiankowanéj Gazety uprasza o zamówienie sobie Gazety tejże w Wiedniu 6 razy na tydzień wychodzącéj za kwartalną ceną 4 ZłR. W. A. sprawy Katolików broniącéj. Na zalecenie takowej tak się wyraża Program niniejszy: «Wir stehen an dem furchtbaren Abgrunde, welchen die mit gekrönten Häuptern verbundene Revolution aufgerissen hat, und worin sie die katholische Kirche und alles bestehende Recht, alle Wohlfahrt und allen Frieden hineinzustürzen und zu begraben sich anschickt. Offen hat man erklärt, daß man den Statthalter Christi vom Throne stoßen, daß man die wahre Lehre Christi ausrotten, daß man ihre Beschützer und Bekenner durch das moderne Heidenthum der Freimaurerei und des Socialismus zeitgemäß modificiren will. Das ist verständlich genug, und wir haben uns jetzt unserer heiligsten Güter zu wehren!

Wem Pius IX., dieser heiligmäßige Stellvertreter Jesu Christi, dieses wahre crux de cruce — wem unser gütige, so früh und schwer geprüfte Herr und Kaiser — wem die Mutterkirche — wem unser theures, großes Oesterreich — wem alle unsere, die weite Welt bewohnenden katholischen Brüder noch etwas werth sind der möge uns, die wir hier in der Hauptstadt der ersten, aber auch vielleicht bedrohtesten katholischen Monarchie, für alle diese hohen und heiligen Dinge offen der schlechten Presse gegenüber das Wort führen — die Bruderhand reichen, und uns nach seinen besten Kräften beistehen,»

N. 364. 366,

Suffragiis ad aram piis commendatur:

Anima V. Pat. Placid. Szczepański Exprioris Szczyrzyc. die 23. Jan. et R. Andr. Stankowski pension. in Czarnydunajec die 15. Januar. a. c. demortuorum.

Josephus Alojsius,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae, die 17. Feb. 1860.
PAULUS PIKULSKI, Cancellarius.

Typis Anastasii Rusinowski Tarnoviæ.